

CARMINA LVGVBRIA,

IN OBITVM PI-
ENTISSIMI ET MAXIMAE
SPEI PVERI IACOBI DONATI,
PAVLI viri Reipublicæ VVernigerodanæ
Consularis, filij, qui 26. Martij die, horâ 3. po-
meridianâ, subito mortis genere extinctus ex
hac mortali in alteram immortalem vitam
descensit: Anno 1601. A Etatis mense
minus anno decimo
completo.

Testificandi veri amoris ergo conscripta

à

M. IOHANNE FORTVMANO,
scholæ VVernigerodanæ Correctore.

HELMESTADII,

Typis Iacobi Lucij. Anno

1601.

Lit. Lat.
rec. A.
392,1q.

20

VII 39.



HENDECASYLLABVM.

Factum illepidum atq; luctuosum,
O factum lachrymabile & gemen-
dum,
O funesta dies & execranda ,
Quam signare decet nigro colore ,
Quam signare decet nigro lapillo ,
Onunquam reditura sis decora
Festo nomine , nec serena luce :
Quâ noster I A C O B V S D O N A T V S altæ
Spes virtutis obit , scholæq; nostræ
Ramus præcipuus iacet reuulsus.
Quænam sedibus inferis parauit
Parcarum malè sana tām nefandum
Casum , quo traheâ graui necatus
Ludens immeritò cadit supinus ?
Tantámne insidias struendo laudem
Portabis Cacodæmon à puello ?
Hicne indissoluendus ordo vester
Parcæ , nectere quem cuiuis foletis ?
Ancillámne parum videtur altâ

Ligno-

Lignorum strue vulnerare, eadēm
Quā noster cecidit die puellus?
Tūm cum quinq; viri forent perempti
Si non cura Dei adfuisset illis:
Si non hic quoq; sit mori coactus?
Ansam quis dedit huic malo furori?
A quonam rabies citata talis?
O factum illepidum atq; luctuosum:
O factum lachrymabile & dolendum.
Nunc largo roseas genas puelli
Nunc largo roseas genas puellæ
Humectabitis imbre lachrymarum.
Est dignus lachrymis, dolore dignus
Casus, quo socius tenebricosæ
Mortis limina cogitur videre,
Hic vester socius, fauor, voluptas.
Quem vos plus oculis amasse vestris,
Quem vos præ socijs amasse cunctis,
Quem vos officijs merere vestris
Tota vrbs VVERNIGERODA confitetur.
Qui vos plus oculis suis amabat,
Qui vos officijs suis colebat,
Totus vester amor decusq; vestrum.
Oduram, rigidam nimisq; Parcam,

A 2

Quæ

Quæ sic ante diem recidit, & quæ
Tantæ sustulit indolis puellum.
Ast hæc numina quid querendo culpo?
Dum sola omnipotentis est voluntas
Cunctis pro lubitu ille mortis horam
Præfinire solet, modumq; mortis.
Hos lecto voluit diem supremum
Hos bellis, alios aquâ fluenti
Mersos claudere, & hos cremante flammâ.
De vitâ modò si quid antè gestâ
Constat, fama fidem & bonam meretur
Num quis vixerit, ut pius Deoq;
Fidens? num procul à Deo remotus
Contemptor pietatis & parentum?
Sed noster I A C O B V S pius Deoq;
Confidens, didicit subesse semper
Præceptoribus & parenti vtriq;
Nil ergò dubitando de salute
Huius, pectore nunc precemur omnes,
Ut quis sanguine nos suo redemit
A Eterno genitus parente C H R I S T V S,
Huic det perpetuam beatitatem,
Soleturq; patrem dolore mestum.

EPI.

60

s A

EPI T A P H I V M E I V S -
DEM P V E L L I.

Disce meo casu vitare pericula cæca
Exemploq; meo cautior esse puer.
Ædibus in patrijs fallebam temporaliſu,
In me nil fraudis nequitiæq; fuit.
Pariete, dum tango traheam, quæ innititur, ipſa
Corruit, exitio meq; ruina dedit.
Sic me aruperunt fatales pensa ſorores
Mense minùs natus cum duo luſtra fui.
Sed quamuis ego ſim properatâ morte peremptus,
Attamen in Christo gaudia letus ago.

**ELEGIA CONSOLATORIA FILII
DEFVNCTI AD MAESTVM
PATREM.**

Sacides quantum concepit corde dolorem,
Et qualem angorem sensit in esse sibi:
A 3 Gum

Cum reliqui fratres famam finxere I O S E-
PH V M

Vrsi diuulsum dentibus esse feri:
Inq; fidem facti patri discissa reportant
Pallia, quæ fuerant tincta cruore capri:
Talem care pater sentis in corde dolorem,
Atq; angor talis membra paterna tenet:
Cum me vidisti collisum guttur habentem,
Quodq; cruore nigro tempora bina fluant.
Sed Deus ex alto qui cuncta gubernat Olympo,
Me singultantem respicit, atq; iuuat.
Et me tam magnis cruciatibus eximit ad se
In cœlum, vitæ fata secando meæ.
Ergo quid mæstis animum cruciare querelis
Te iuuat, & totos illachrymasset dies?
Quid iuuat in pullâ matrem procedere veste?
Quid raptum socium turba iuuenta dolet?
Quamuis sim traheæ casu grauiore necatus,
Et me suppressit mors properante gradu:
Non tamen ad Stygias me descendisse putabis
Vndas, nec foedâ crimina morte luo.
Corpus habet tellus, sed mens successit ad astra,
Inq; sinu Christi gaudia mille capit.

An

An non legisti tacitis nos nostraq; ferri
Fatis, quod fiant cuncta regente Deo?
Tegula si quando de te^cto decidit alto,
Et casu quemquam cogit obire necem:
Non præter rerum seriem fit fortuitoue,
Sed nutu summi cuncta vidente Dei.
Nempe obitus, vita, & curæ nostriq; labores,
Atq; alia in manibus sunt sita cuncta Dei.
Hunc omnes gressus hominum disponere, &
omnes

In collo crines connumerasse scias.
Hoc sine non cadit in terrā vel passer oberrans,
Post quem de neruo concita tela volant.
Vt ilis esse tibi poteram, columenq; senectæ
Solamenq; mali semper adesse Pater:
Ait aliud voluit totius conditor orbis,
Qui me immaturam iussit obire necem.
Post breuetempus erit, cum nos iungemur, &
vnâ

Viuemus faciem suauiter ante Dei.
Ergò tibi casu quod sim surreptusacerbo,
Nec potui extremâ dicere voce, V A L E:
Hoc certū & firmū est placuisse Deo, ergò virili
Pectore fer sanctæ pondera dura crucis.

Ac

Actua, dic, fiat rerum pater alme voluntas,
Prole virili me qui caruisse cupis.
Luctu igitur noli nostram turbare quietem,
Sed dic mi fili, viue, quiesce Dco.
Nulla est tristitiae vtilitas, sed plurima damna,
Ignaras gentes mos decet iste, V A L E.

F I N I S.



Lit. Lat. rec. A 392, 1q.

